

Q. K. 394, 16.

(X1883924)

565

II n
2420

DE
 MAGNITUDE
 ET POTENTIA
 SERENISSIMAE
 DOMUS
 BRANDENBURGICAE
 ORATIO
 CHRISTIANI ERNESTI
 a LILLEN NOB. FR.

HABITA
 IN ILLUSTRIS
 CHRISTIAN-ERNESTINI
 COLLEGII

AUDITORIO MAJORI
 DIE VII MAJI
 ANNO MDCC LXXVIII.

BARUTHI
 LITTERIS GEBHARDIANIS



.14.



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

D O M I N O

CHRISTIANO
ERNESTO,

MARGGRAVIO
BRANDENBURGENSI,
MAGDEBURGENSIUM, PRUS-
SORUM, STETINENSIVM, POMERANORUM,
CASSUBIORUM ET VANDALORUM, UT ET
IN SILESIA GROSSENSIVM AC JAEGERN-
DORFFENSIVM DUCI, BURGGRAVIO NO-
RIBERGENSIUM, PRINCIPI HALBERSTA-
DENSIUM, MINDENSIVM ATQVE CA-
MINENSIVM, ETC. S. CAESAR. MAJEST.
EXERCITUS PRO-LEGATO,



HEROI
MAGNANIMO, FORTI,
INCLUTO,
PATRIAE PATRI,
DOMINO SUO CLEMEN-
TISSIMO

HANC
DE MAGNITUDE ET POTENTIA
SERENISSIMAE DOMUS
BRANDENBURGICAE
ORATIONEM SUAM
DEVOTISSIMA MENTE OFFERT
SERENITATIS IPSIUS

SUBJECTISSIMUS ET HUMILLIMUS
CLIENS
CHRISTIANUS ERNESTUS
a LILIEN.

**SERENISSIME DUX,
CELSISSIMI PRINCIPES,**

**Illustris & Generosissime,
Domine,**

*VIRI Generosi, Summe - Reverende, Praenobilissimi, Ma-
ximè Strenui, Nobilissimi, Magnifici, Consultissimi, Spectatissimi,
Plurimum Reverendi, Excellentissimi, Amplissimi, Prae-
lentissimi, Clarissimi, Prudentissimi, Pereximii.
Vosque Musarum Cultores lectissimi!*

SI quae unquam in Annalibus Veterum & Romanorum & Germanorum inclaruerat familia, & apud nationes praecipuas maxumò venerata fuerat obsequiò, Caroli certè re & nomine Magni ea fuit, quae in Italia pariter & Gallia celebrata decora sua undiqve ostentavit, atqve vel inde praecipuè sibi gloriam fuit aucupata, quòd sui fulgoris non heri aut nudiustertius sumferit titulos, sed vel antiquissimâ ex Germanorum familiâ diducta, ad solium initiò fastigii Gallicani, hinc ad Lombardiae & Italiae possessionem, ultimùm verò ad ipsius Imperii Majestatem, faustissimis Caroli Magni armis, ceterisque virtutibus Herois incomparabilis fuerit admota. Inanis autem ea gloria, vel solâ nominis pompâ tumida non fuit, quippe ex

A iij

Majo

Majoribus domûs Pipinus, dejecto Galliae Rege Childerico ignavo, solium conscendit ejusque filius, laudatus modo Carolus, tot terrarum victor, tot populorum domitor suae coronae diadema imperiale primus inseruit, vel potius hoc eandem exornavit, & ad posteros felicissimè propagavit. Verum quantum quantum ille Carolidarum splendor fuit, meos tamen ita non perstringit oculos, ut alias quoque hodiernum iisdem, si haud nobilioribus, fulgentes decoribus superesse non videam familias. Et sane, ne de totius Germaniae Serenissimis domibus Principalibus multa hinc, & in vulgus jam nota conferam, neminem adeo suam in patria hospitem credo futurum, qui non praecipuas imperantes hodie familias avitâ & nativâ coruscare nobilitate, virtute, dignitate intellexerit, observaverit; ita quidem, ut diductis per plura saecula facinoribus aurò dignis, suas depraedicare laudes, sua decantare facta nullò possit negotiò. Exterarum quoque in Galliae, Hispaniae, Angliae, Daniae, Sveciae aliisque Regnis Illustrium, immò Regnantium familiarum, ea praecipua gloriae pars est, cognatione proxima Germanicum referre stemma, aut certè fingere. Ast micat inter reliquas omnes Germaniae Illustrissimas familias Brandenburgica Serenissima domus, velut inter ignes Lunâ minores, in tantum, ut cum quavis alia nostri Imperii possit contendere, eamve, solâ Praepotentissimâ Austriacâ exceptâ, superare. Ea enim non illustrissima tantum antiquitate, sed suorum etiam fortissimis ausibus & mirandis in omne aevum factis, rarâque terrarum amplitudine, quam ex divina bonitate, suâ in Augustissimam Domum Austriacam toties iteratâ fide, ditissimòque uberius copiae cornu impetravit, haud frustra nititur. Ut autem humillimam, quo in Serenissimam ac Potentissimam hanc domum feror, obsequium pro eo, qui tenuioribus hisce meis annis competit, modulò praestem, in Illustri hoc ac splendido tot Clarissimorum Principatus

tûs

tus hujus Columinum ac Luminum Confessu, brevibus exhibere conabor de cora illustriora, quibus Brandenburgensis radiat gens, & in quae cum primis unà cum Augustissima Archi-Ducali Austriaca domo, continuo felicitatis prosperissimae cursu, fuit adserta. Atque exoptarem e quidem Tullii hinc mihi opulentiam, aut facundiam Demosthenis, quae ex merito tot gentis hujus praeconia potis essem celebrare. Verum mei, Auditores, mea eoque pueritiae non adeo oblitus sum, quin ex omnipotius, qui infinitus est, laudum numero, capita modo & fastigia rerum decerpere placeat ac delibare. Hinc materiae, quae de dicturus breviter ero, sublimitas, firmam mihi spem facit, inferiori gradu licet edisseram, benignioribus tamen auribus a vobis sermonem meum iri exceptum, quod subiectos omnino Serenissimae huic genti & decet, & ipsa flagitat ratio. Ostendite igitur Vestrum, Auditores, in eandem cultum, ostendite Vestrum erga sermonem meum favorem, quod eo, quo convenit, obsequio & veneratione contendo.

Cum itaque ipsam hanc Serenissimae Brandenburgensium familiae gloriam, pro ingenioli modulo, in publicum vobis exponere semel edixerim, unde initia mihi trahenda sint, ubi capeffendum medium, facile video, vereorve ut exitum, pari promptitudine, reperire liceat. In confesso apud eruditos est, antiquissimos quosque Reges, majorem generi suo ut splendorem concilient, ex Deorum se factos finxisse pro sapientia, atque ad divinos ita conditores, Heroesve, stemma suum, inani tamen & frustraneo gloriae immortalis aucupio, retulisse. Non enim Alexander tantum, ille Europae & Asiae victor potentissimus, quem horrendi ausus prosperiore successu nunquam distituerunt, humana omnia transcendens, materni generis jure Achille auctore, paterni Hercule gloriatus est; sed ad tantum tandem superbiae adscendit, ut Jove se genitum jactitaverit, ejusque se filium ab omnibus coli voluerit.

Quod
ejus

ejus temerarium profectò factum complures alios, & inter hos ipsum quoque Julium Caesarem, imitatos novimus, ut vel fictitiò hòc Majorum lusu orbi imponerent, majúsque suo diadematilumen hòc modò foenorarentur. Idem ut in Brandenburgensium Serenissimâ familiâ probè attenderem, & ad nonnullorum ductum eandem a Maxumis Germaniae Nostrae Diis quasi tutelaribus, Summis Heroibus ac Caesarum Procreatoribus derivarem, caussae omnino nihil est, cum ipsa rei veritas, quam exactissimam mihi normam meritò praepono, ad antiqvissima, & a nostra memoriâ fatis remota tempora, manu me quasi ducat, in Serenissimae Domus Brandenburgensis inqvirentem venerandam maxumè vetustatem. Quis enim in Germanica nostra historia adeò hospes est & peregrinus, qui ex Zollerensium Comitum Illustrissima prosapia eandem derivatam fuisse fando nunquam audiverit, aut litterarum monumentis consignatum legerit? Zollerenses autem seu Hohen-Zollerenses, a gentilitio ita castro Zollern vel Hohen-Zollern appellatos, si communem & tritam nonnullorum consuetudinem sectari animus ferret, Italicae stirpi inferere, esset quàm facillimùm, siquidem ex Genealogicorum Historicorumve numerò plures certè, eruditionis non exiguae autores sunt, qui Petrum, nescio quem Columnium, Zollerensibus dedisse ortum, fatis confidenter tradunt. At verò quantum eò ipso nobilitati Germanicae & virtuti inferant dedecus, stigmáque inurant, dum honore tamen maxumò eandem extollere existimant, vel inde judicari nullò potest negotiò, quòd Germanorum Illustrissimis familiis sua sufficiat, non aliunde emendicata nobilitas, suò radiet splendore, peregrini haud indiga. Et antiqviora quidem historiarum fatis loqvuntur monumenta, non in ipsa tantùm suâ patriâ, sed & extra eam fortissimos fuisse, suarúmque virtutum gloriosissima hinc inde exhibuisse specimina nostros Germanos, nobilitatisque suae uberiora
 ubi-

ubilibet reliquisse plantaria, in quibus dein, & alibi, ex Germanico sanguine, propullarint Viri fortissimi, quibus non ultima gloriae & laudis linea fuit, nomine Germanico sum illustre stemma. Quantis non modò ante Caroli Magni aetatem, sed post eam etiam viribus praecipuè oppugnaverint, & expugnaverint Italiam Germani, vel ipsi etiam Italiae Scriptores & Romani, qui tamen sua tantum mirari solent, haud diffitentur; devicta quippe ea non semel praedae Germanorum fuit exposita, immò, quae terrarum quondam Regina, totiusque mundi Caput, Roma, Germanico saepissime nomini succubuit. Devictae isti provinciae Reges & Imperatores haud rarò Germanico sanguine oriundos praefecerunt Praetores, Rectores & Gubernatores, qui continuo temporis tractu, felicissimè eandem, & Germanico planè genio convenienter, administrarunt, quorum dein nepotes & posterì, reversi aliquando in patrium solum, non ex Italia decus illud intulerunt gentilitium, ipsi victores ex provinciâ devictâ, sed natalitiae suae terrae gloriam, alii haecenus communicatam, retulerunt: quod quidem cum illustrissima Zollerensium familia contigisse, planè sum indubius. Ea enim Caroli Magni jam aevò in Germania virtutis & famae nota clarissima, CAROLI vel OTTONUM certè sub imperio, descendit in Italiam, in Campum illum Martium, ut gloriam inde immortalem, & honorum abundantissimam farraginem reportaret. Exin Caesarum Suorum, contra iniquissimos Pontificum Romanorum ausus defendens majestatem, non rarò cum iisdem fuit conflictata, tandemque HENRICORUM aevò, ingratum illud in Germanos, sui liberatores, solum reliquit, & in avitum felicissimis omnibus migravit, Castellumque *Hohen-Zollern* in Svevia, sedem gentis condidit, atque ex illo saeculo, quod post CHRISTUM natum fuit decimum, inter reliquas Comitum in *Svevia* Illustrissimas Familias principelocò habitansim, & quod maximè mirèris, unà cum

cum Augustissima AUSTRIACA familia, ad majus gloriae, fastigii Principalis & ditionum subjectarum incrementum fuit sublimata; atque uti haec ipsa saeculô XIV ex tenuioribus ita succrevit initiis, ut tantos terrarum tractus, tantum provinciarum numerum, tot marium spatia, tot denique regnorum amplissimorum copiam sinu suo foveat, ut nec Orientem hodie Solem videat, nec Occidentem; sic & *Zollerensis* nostra eandem factorum sensit clementiam: Illa sub *Rudolpho I* Augustissimae hujus familiae conditore gloriosissimô, ad Imperiale fastigium elata AN. MCCLXXIII quos haecenus prosperrimos omnium coeptorum non vidit & admirata fuit eventus? Hinc sicuti bonum quodcunque non in sola unius possessione conquiescit, sed vel sui communicationem maximè intendit; parili etiam ratione felicitatis suae uberrimum fluxum *Zollerensi* applicare, quasi conterraneae, praecipuè fuit adnisa. Atque hinc laudatissimus modò Imperator *RUDOLPHUS* denuo *Zollerensium* Comiti & Burggravio *FRIDERICO III* superius memoratô annô, Noricum *Burggraviatum*, ob praestita fidelissimè officia, in perpetuum obtulit, concessit, donavit; quo quidem Burggraviatûs honore jam ante ea tempora per saeculum & quod excurrit, fuerant exornati iidem Illustrissimi *ZOLLERENSES* Comites, ceu nostris id monumentis satis hodie comprobatum, & evidentissimè fuit ostensum: quanquam praecedentibus saeculis vulgò fuerit creditum, hòc ipso demum aevô *Zollerensium* illustrissimae familiae decus hoc Burggraviale accessisse. Prima haec ad futuram prosperitatem posita fundamina, major longè exceperit dexteritas, variarum urbium & ditionum, per eundem Maximum Imperatorem divum *Rudolphum*, spontè factâ oblatione, quae prolixiori hêic texenda omnino venirent catalogô, nî temporis rationem existumarem habendam. Atque ut brevibus me tantum, & verbô quasi expediam, ingens sanè superioris infe-

infe-

inferiorisve *Burggraviatus* tractus, qui *MERANORUM*,
OETTINGENSIVM, *ORLAMUNDORUM*, aliorumve
 complurium Ducum, Comitumve agnoverat imperia, &
 in illo non rarae urbes, oppida, vici, pagique ex hac ipsa
 felicitatis scaturigine ad Burggravios nostros defluerunt.
 Qua porro prosperitate fors eorum augeri semel coeperat,
 eodem deinceps felicissimè perrexit, latius deinceps pro-
 gressa. Extinctus fuerat saeculi XIV annò secundò & vi-
 cesimò *ELECTORUM BRANDENBURGENSIUM* ex *A-*
SCANIA familia fatorum ultimus *JOHANNES IV*
 atque ita splendidissimum Electoris & Archi-Camerarii
 officium ab Imperatore *LUDOVICO* Bavariae gentis, fi-
 lio *LUDOVICO* seniori fuerat concessum, penes quem &
LUDOVICUM Romanum, fratremve *OTTONEM V* ad
 annum usque septuagesimum tertium ultra millesimum
 trecentiesimum permansit, qui ultimus *CAROLO* Impera-
 tori hujus nominis IV Brandenburgensi Marchionatu, so-
 lutis ducentis mille aureis, cessit, atque ab hoc in filios
WENCESLAUM, torpentem ignaviâ, post Caesarem, &
SIGISMUNDUM fuit collatus, qui tamen ipse oppigno-
 ratam initio *JODOCO* Moraviae Marchioni, AN. MCCCCXI
 redemit, annoque proximò *FRIDERICO* Burggravio No-
 rinbergensi ejus Nominis VI ita concessit, ut ipse supre-
 mus Marchiae Gubernator & Rector Caesareas tueretur
 vices, omnibusque juribus ac privilegiis non aliò, ac ante-
 cessores, modò, frueretur, solò Electorali votò in Comitibus
 Electoralibus, *SIGISMUNDO* speciatim reservatò. Quàm
 autem laudatissimè, quàm dexterrimè in administranda
MARCHIA suas egerit partes, quàm sollicitè publicae pa-
 cis gesserit curam, quàm providè oppressorum a potenti-
 oribus defensionem susceperit, id mea quidem lingua elo-
 qui haud valet. Sanè gloriosissimus Augustus *SIGIS-*
MUNDUS his omnibus probè expensis, & quantum impe-
 rio, quantum sibi suisve, quantum denique *MARCHIAE*

consultum foret; si omnimode FRIDERICUM Nostrum, Electoratum praefecisset, exactè trutinatis, AN. MCCCCXV in CONSTANTIENSI Concilio, propensum in Nostrum, amorem eâ ratione voluit testari, ut qui omni jam spe obtinendae prolis masculae exciderat, ELECTORATUM cum TOTA MARCHIA, omnibusque juribus ac privilegiis concesserit, numeratis quidem quadringentis florenorum millibus, at quantillô pretiô, quo si nostrum ad aevum res exigatur, exiguus certè tractus venire vix posset, de quo Eundem dein AN. MCCCCXVII die Aprilis XVII maximâ & consuetâ solemnitate investiit atque ita ELECTOREM renunciavit. Ab hoc igitur tempore, ducentis uno ac sexaginta annis, in solida ac beatissima pace, Electoratum possederunt Nostri cum Marchia Brandenburgensi, laetissimâ ac variarum frugum ubertate, camporum amoenitate, fluminum navigabilium fecunditate, urbium clarissimarum innumerabili copiâ undiquaque refertâ provinciâ; cujus sive spectes venerandam antiquitatem, qua Brandenburgum, universae regionis urbs prima, quae & nomen huic dedit, a Brenno fortissimo Semnonum heroë condita, V. ante Christum Natum saeculô perhibetur, certiori fundamentô ipsa Marchia saeculô X AN. DCCCCXXVIII ab HENRICO AUCUPE contra Vandalorum irruptiones, tanquam Germaniae terminus & marca, certis propugnaculis roborata fuit; sive sublimem ELECTORATUS dignitatem, qua inter praecipua Imperii, & Imperatori proxima membra praefulget, eligenti S. Imperio Romano summum caput, potestate instructa, & ARCHI-CAMERARII splendidissimô munere donata; sive denique partium quibus constat, varietatem, novam dum, mediam, veterem Uckerâmque complectitur, sanè nihil non grave, grande atque illustre spectabis ac deprehendes. Non igitur, exigua quaedam portiuncula Nostris Serenissimis adcreverat, sed minimum LXX Milliarium longitudinem adaequans

quans

quans regio, cui Divinum deinde Numen largissimò adflu-
 xu, complura indies insinuavit beneficia, uberiorésque,
 benignitatis suae aperuit venas. Cum enim sub hujus
 FRIDERICI Electoris I FILIÒ FRIDERICÒ II cui insu-
 perabilis virtus ac mens indomita *ferrei* nomen adjudica-
 vit, in Pomerania Ducum Stetinsium familia esset extin-
 cta, ex pactis hereditariis, quae antiquis Pomeranorum
 Ducibus cum Electoribus Brandenburgicis intercesserant,
 illum *Stetinsium Ducatum* ad se translatum credidit dictus
 FRIDERICUS II & quanquam summis se viribus *Wol-*
gasti Duces opponerent, in feudum tamen ab Augustissimò
 FRIDERICO IV collatus fuit ille Ducatus nostro, atque
 ex eo tempore titulus DUCUM POMERANORUM STETI-
 NENSIIUM ad Serenissimam hanc domum fuit derivatus,
 ex quo tamen gravissima renata dein bella funestam red-
 diderunt MARCHIAM ac POMERANIAM, sub hoc pari-
 ter Electore, ejusve in Electoratu successore ac Fratere AL-
 BERTO, illo, cui invictus semper animus, nunquam vi-
 ctoriis defatigatae manus, nunquam non triumphatus
 hostis, *Achillis Germanici* peperunt nomen; illo, *in cuius cal-*
liditate & fortitudine omnium Germanorum Principum vires con-
tineri ac opes, non sine ratione non nemo dixerat; qui tan-
 dem non nullis e Germanis Principibus arbitris id effecit,
 ut praestitò sibi homagiò, in feudum ab eodem reciperent
Stetini Ducatum Wolgastini Duces, atque ab illo, ut Domino
 recognoscerent. Hereditariis item pactis iis, quae Con-
 fraternitatis vulgò appellantur, inter SAXONICAM atque
 HASSIACAM Domus Serenissimas conditis, BRANDEN-
 BURGENSEM quoque innexuit, spe itidem & roborandae
 potentiae, & augendarum, si ita fata ferent, ditionum. JO-
 ANNE Magno, Alberti Herois Heroicarum virtutum, glo-
 riæque herede, ex asse Marchiam cum Electoratu admi-
 nistrante, CROSNENSIS Ducatus, non tamen itidem, ni-
 si post multas cum JOANNE Saganensi exercitas altercati-
 ones,

ones, Brandenburgensibus accrevit, dum per pacta dotalitia ultimi Ducis Conjugi Brandenburgicae fuisset adfertus. Pari felicitate *novam Marchiam* sibi suisve vindicavit JOACHIMUS I quae ordini Prusico aliquandiu fuerat oppignorata, *Comitatum item Ruppinensem* feudi jure, defunctâ Comitum familiâ, obtinuit, denuôqve cum *Pomeranis*, quæis grave nimium erat, BRANDENBURGENSIBUS feudi jure esse subiectos, convenit, & de futura, olim successione, renovatis pactis hereditariis, omnimode cavuit: quae tandem transactio quem sortita fuerit eventum, dicetur inferius. Quem autem admodum Divinum Numen omni bonorum farragine supplet verâ & infucâtâ se pietate colentes; ita & terrestria Numina gratis sibi obstrictos officiis ulterius sibi solent devincire amplissimâ in eos beneficiorum collatione. Utrumque sensit SERENISSIMA Nostra Domus. Pietas in Deum, studia erga Imperatores & Reges quantis Brandenburgiacos onerarunt honoribus, ad quod evexerunt fastigium? OPPAVIENSEM fanè, OPPOLIENSEM ac RATIBORENSEM in *Silesia* Ducatus ex Ladislai Ungariae ac Bohemiae Regis avunculi liberaliori manu, & JAEGERNDORFFENSEM aere suô redemptum consecutus Divus GEORGIUS PIUS, hunc ultimum posteris reliquit possidendum, cui certè mirandam illam aevi sui felicitatem quid impetraverit aliud, quàm sincera orthodoxae fidei ac constantissima coram Invictissimo Carolo V Caesare facta professio, nihil quicquam video. *Prusiam* ulterius, illa ad Oceanum Balthicum nobilissima & extima ferè Germaniae regio, quae diu satis Teutonici Ordinis Magistrorum *Imperii* fuerat obsecuta, in ALBERTO, Divi GEORGI Fratris, post non unam cum Polonis conflictationem, Ducatûs nomine, Serenissimo itidem nostro Stemmati incorporata fuit, praecipuè cum a laudatissimi ALBERTI obitu ALBERTUS FRIDERICUS, Prusiae Dux, cui invalidior corporis constitutio ipsam imperio

perio *Prusiam* tenere haud permittebat, Divo GEORGIO FRIDERICO gloriosissimam ejus administrationem suscipiente, JOACHIMUS II Elector, cum memoratis modò Marchionibus, successionem a Polonorum Rege obtineret hereditariam. Quieverat ita Fortuna Brandenburgiaca aliquando, ut collectis & redintegratis quasi viribus omnem dein suam promat & effundat libertatem. Ut enim priora duo saecula nostrae huic Domui splendida haecenus ac proficua vidimus; ita & illud, quo jam vivimus, non minores felicitatis thesauros non eminus tantum ostendisse, sed vel praecipuè in eandem coacervasse dispiciemus ulterius. Namque JOANNES SIGISMUNDUS, Elector, defuncto JOANNE WILHELMO, inter Duces Juliacenses & Clivenses postremò, quique suae familiae ultimam signabat lineam, *Juliae, Cliviae ac Montium Ducatum* amplissimorum, Comitatus item *Marcani & Ravensbergici* cum Dynastia *Ravenstein* prolixissimam hereditatem, uxoris nomine ad se translata vindicare admissus fuit: cui tamen ejus conatui praeter Potentissimos Saxoniae Electores reclamabant etiam pauci alii, Neoburgensis praecipuè Comes Palatinus, qua dein causa plurima bellorum semina & infinita mala alia exorta fuerunt, quae Serenissimi Patriae Nostrae Patris CHRISTIANI, per dimidium & ultra saeculum exoptatissimi, propriam etiam suammet causam deferentis, aliorumve Germaniae Principum solertissimâ curâ, tandem aliquantisper ita fuere extincta, ut inter praedictos Competitores, Dominum Electorem, Dominumque Comitem Palatinum Neoburgicum, illarum ditiorum instituta & felicissimè fuerit peracta divisio. Exemptò ulterius rebus humanis ALBERTO FRIDERICO, ultimò Prusiacò ex florentissima hac arbore furculò, *Ducalis Prussia* penitus in memorati modò Domini Electoris portionem secescit, clientelari ea quidem nomine, usque tandem fiduciariò sublatò, in absolutum Potentissimi ac Serenissimi-

nisfimi moterni DN. FRIDERICI WILHELMI impe-
 rium victricibus armis, & Polonorum post cessione spon-
 taneâ fuerit cooptata. Cùm porrò Pomeranorum Dux
 ultimus BOGISLAUS ejus quidem generis, quod suâ no-
 bilitate, & concatenatâ saeculorum multitudine plures
 Germaniae familias si non superavit, certè tamen aeqva-
 vit, inter mortales esse desiisset, pactorum illorum here-
 ditariorum, superiùs à me memoratorum ratio exigebat,
 ut in plenariam utriusque Pomeraniae possessionem Sere-
 nisfimi MARCHIONES BRANDENBURGENSES coopta-
 rentur. Ita enim cautum fuerat, ut decedente alterutrâ
 ex pacifcentibus istis familiis, ad alteram cuncta devolve-
 rentur. Quod itaque jam ex parte indulserat ante cen-
 tum sexaginta sex annos factorum benevolentia, inviderat
 tamen aliorum habendi cupido, id tandem aliquando com-
 pensatò cum lucro reverti debuisset. Sed in ea Germania
 nostra, prò dolor! tum inciderat tempora, ut intestinis
 inter se disidiis conqvasata, ingentique vulnere hians &
 undiquaque faucia, medicinam quidem hinc inde exqui-
 reret & speraret, impetraret verò nullam. Quodque in
 corpore fieri solet humano, ut intestinis malè affectis, ce-
 tera quoque membra simul patiantur, nec corpus, manus
 pedesve suò rectè fungantur officiò; idem & nostrae com-
 muni contingebat patriae. Laborabat corpus aegrè af-
 fectum intrinsecus morbò planè desperatò, capiti cum
 membris ferè non constabat, indeque nec eximium illud
 Germaniae & Collegii Electoralis membrum DN. GEOR-
 GIUS WILHELMUS, prout decebat, promptam suarum
 actionum efficaciam consequi valebat, possessioneque Po-
 meranicarum illarum ditionum intercipiiebatur. Spera-
 batur tamen quàm certissimè, ut dissipatâ nubis illius
 caligine, restitutoque pacis Sole & tranquillitatis publi-
 cae nitore, his quoque regionibus ad legitimum redire
 Dominum sit pronum ac facile. Idque ut pactis planè
 erat

erat conveniens, ita & necessarium praecipuè Electoralibus credebatur ditionibus, ut quae Pomeraniae accessu continuo sibi tractu quasi affixae, & ita invicem colligatae essent, alteram se jungi haud aequum crederetur vel accomodum. Quantum enim *Pomeraniâ* adjuncta, roboris ac firmitatis accessisset Electoratus, non nisi regionum omnium & delineationum Geographicarum ignarum latere potest. *Cassubiae* certè ac *Vandaliae* non infima pars ad hanc Pomeraniam spectat, quae simul cum eadem accessisset Nostris, unde & Principum *Cassubiorum Vandalorum* manavit appellatio. Atque dandum id fuisset tandem privato Electoris commodo, nò publicum praevaluisset Imperii. Cùm enim fundaminibus ejus tricennali bellò, ab hoste externo, planè concussis, & tantùm non everfis, in eo jam erat, ut exequias irent Imperio cives Germani, vel propriò ditionum dispendiò, & *Pomeraniae Citerioris, Rugiaeque* Principatùs jaçturâ, magnò certè tractuum hiatu, coire voluit egregiam publicae rei felicitatem Serenissimus ac Potentissimus DN. *FRIDERICUS WILHELMUS*.

Qui quomodo has regiones Pace Monasterii in Westphalia sancitâ Svecis cesserit, potentemque illum vicinum admiserit, res meridianò clarior Sole est, verborumque prolixitate non indiget. Quemadmodum verò differtissimus ille Graecorum Rhetor, Demosthenes, non sine causa dixit, Rempubl. eò magis minui, quo magis eorum, qui publicis praesunt functionibus augeantur; aquisimumque esse, ut res eorum privata, qui publicam adjuvant, augeatur, & incrementi fiat particeps; ita aequitatis potissimum efflagitabat ratio, ut ne quicquam aliud Serenissimae BRANDENBURGENSIUM familiae eveniret. Scilicet, quod Perdiccas olim Alexandro Magno in Regno Macedoniae omnia alia, interque ea sat egregia ipsi Perdiccae distribuenti, sibi verò nil nisi consilii sui spem reservanti respondisse fertur, regiò illo donò redditò: se quoque illius
C
spei

spei fieri velle participem, in oculis ac mentibus Serenissimis nostris Marchionibus versabatur continuo; mereturque Potentissimus DN. ELECTOR hodiernus idem cum Camillo elogium, his scil. verbis: Maluit hic tantus Princeps patriae suae, quam sui damni memor esse. Cum verò tandem in florentissimam, Malaciáque exhilaratum Pacificae Germaniae portum fecessisset Reipublicae nostrae navis, reportavit ex felicissima quasi India, abundantissimos pronae suae in pacem publicam voluntatis fructus. Quòd enim dictis superius provinciis renunciasset, meritò conceptae suae spei tulit fruges maximè maturas, *Halberstadensi & Mindensi* Episcopatibus, *Magdeburgensi* item Archi-Episcopatu, conversis illis in Ducatus & Principatus seculares universis, in omne aevum retributis, quae certè restitutio prout re ipsa firmissimum sortita fuit eventum, quàm copiosissimò felicitatis cumulò fuerit beata, vel hòc ipso, quod hodiernum geritur acerrimè cum Imperii & Germaniae hostibus bellò, in vulgus notum, meritò silentiò involvo. Denique & a Poloniae Corona AN. MDC LX Dynastiam *Bütan*, quae antiquioribus temporibus feudi vinculo, quo Poloniae regno erat devincta, a Pomeraniae Ducibus possidebatur, & defunctò ultimò ejus generis *Bugislaò XIV* coronae redunita erat, obtinuit. Et quòd, quà temporis notationem ultimò locò recensendum, illustri verò sui praestantià primò meritò numerò veniendum, quis rerum hodie gestarum adeò hospes est, qui ruptà à Svecis Germaniae tranquillitate, & quae ab ipsis tot nobilissimis provinciis fuerat redempta, pace Westphalicà, eos in Electoratu Brandenburgicò, dum ad Augustissimi Capitis mandatum & Comitiorum publicum Decretum, suum in hostem Imperii Gallum, explicasset arma Potentissimus *Electo*r, inaudita diritate, & plusquam barbara feritate sacra, profana, privata, publicàque violasse, nec aetatis nec sexùs, nec Dignitatis habita ratione, omnia perae;

peraeque contaminasse & foedasse, vel fando non audiverit. Quorum tandem malorum impatiens DN. FRIDERICUS WILHELMUS ex Spiritu merè Heroicò intrepidòqve animò, receptis suorum paucissimis, solò comitatus equitatu, ad fortissimum, & non nisi victorias prae se ferentem Svecorum exercitum venit, eum vidit, vicit, & quae fata jam olim negaverant, hereditate ad eam devoluta, ea manu strenuâ, mentèqve imperterritâ aggredienda nunc & sternenda esse decrevit; praecipuis inde citerioris Pomeraniae urbibus occupatis, *Stetinum* tandem Ducum olim Pomeraniae sedem, palatiis splendidissimam, civium virtute robustissimam, propugnaculis munitissimam, post sex ferè mensium continuam acerrimamqve obsidionem sub praecedentis anni finem feliciter occupavit, Brandenburgicaeque ita Familiae nobilissimum illud diadema inseruit. In finitos circa obsidium isthoc toleratos labores, susceptas vigilias, exantlatas curas, balbutiens mea lingua nequam valet eloqui, & si vel propria mihi ac familiaris esset Periclei oris suavitas, laudes tamen & trophaea in Stetineni hac expugnatione, pro merita explicare, & pro merito evehere impossem. Memorabunt futura olim saecula stupendae fortitudinis utrinque exhibitae praeconia. Hinc receptis proximè *Stralsundo* atqve *Gryphswaldo*, residuis adhuc *Svecorum* in Imperio fortalitiis, & prostratis tandem ac omnino ejectis Germaniae desolatoribus gloriose triumphare *Fortuna Brandenburgica* possit, non devotè modò voveo, quòdque humillimum *Potentissimae Domus Brandenburgicae* admiratorem ac clientem decet, ex intimis rogo praecordiis, sed indubius etiam spero & planè confido. Atque ex his omnibus *Serenissimae ac Potentissimae FAMILIAE BRANDENBURGICAE* amplitudo & per universam ferè Germaniam ab Occidente Septentrionem versùs dilatata magnitudo patet ad oculum: cui quidem ex ceteris Germaniae Familiis Potentissimis ac Il-

Iustrisimis palmam eâ re dubiam facere nulla potest alia,
 praeter Augustissimam ARCHI- DUCALEM AUSTRIA-
 CAM, quippe cujus nutu & imperio praeter *Austriacas* ho-
 die ditiones complura regna, infinitasque provincias pen-
 dere, nemo est, qui fando non audiverit, aut scriptorum
 annalibus consecratum haud legerit. Superius eqvidem,
 dixi, quomodo a Saeculo XIV, continuatô perpetuantis
 fortunae fluxu & refluxu ad id enata fuerit fastigium, ut
 Imperiali diademate Augustissimis capitibus adfertô, &
 quasi alligato faustissimis haectenus cum Serenissimâ No-
 strâ floruerit auspiciis, ambaeque potentissimae hae do-
 mus a tenuioribus primordiis simul ad majores dignita-
 tum gradus adspirantes, illum tandem, quo nunc resplen-
 dent, Majestatis ac sublimitatis thronum conscenderint,
 suavissimôque usque huc amplexu se invicem exceperint:
 hinc pro ut Augustissima ARCHI- DUCALIS AUSTRIA-
 CA non obscuras gratiae ac favoris notas in Nostram multi-
 plicavit; ita haec studiis infinitis, obsequio gratisimo &
 nunquam non devotissimâ veneratione foveri ulterius a
 Sole illo Austriaco fuit adnisa, adniteturque deinceps fir-
 missimè. Non hîc de matrimoniis, quibus aliquoties coa-
 luit utraque, non de aliis hujus illiusve felicitatis docu-
 mentis plura referre licet. Hoc unicum vel admiratione, vel
 certè cunctorum tripudiis dignum, cursim tandem per-
 stringam, quòd, sicut a Divi ALBERTI II Imperatoris tem-
 poribus atque AN. MCCCCXXXVIII UNDECIM haectenus Cae-
 sareô Diademate praefulgidos, & Imperiale Solium divinâ
 Majestate, clementiâ, fortitudine, justitiâ, virtutumque
 cunctorum catervâ stipatos exornasse concussô nunquam
 ordine vidimus, quos inter Augustissimus ALBERTUS II
 Justissimi, FRIDERICUS IV Pacifici, *Maximilianus I* Ma-
 ximi, CAROLUS V Inviictissimi, FERDINANDUS I San-
 ctissimi, Maximilianus II Benignissimi, RUDOLPHUS II
 Prudentissimi, MATTHIAS Liberalissimi, FERDINAN-
 DUS

DUS II Constantissimi, FERDINANDUS III Exoptatissimi,
 & LEOPOLDUS denique Augustissimus Gloriosissimi fa-
 mam ac nomen aeternitati dudum consecrarunt: sic pari
 planè modò Potentissima ac Serenissima Brandenburgensis
 Familia UNDECIM hætenus Electorali Mitrà coruscantes,
 imperiùmve providis suis consiliis non parùm juvantes
 conspexerit, ex quibus FRIDERICUM I felicitate, II æqua-
 nimitate, ALBERTUM ACHILLEM rerum gestarum magni-
 tudine, JOANNEM pacis beatissimâ conciliatione, JOACHIMUM I
 scientiarum omnigenarum varietate, II religionis
 sinceritate, JOANNEM GEORGIUM justitiæ celebritate,
 JOACHIMUM FRIDERICUM pietatis singulari studiò, cle-
 mentiâ JOANNEM SIGISMUNDUM, GEORGIUM WILHELMUM
 etiam in periculis gravissimis constantiâ, & Serenis-
 simum ac Potentissimum DN. FRIDERICUM WILHELMUM
 virtute ac justitiâ, futura quæ futura sunt sæcula conce-
 lebrabunt, condentque his omnibus monumentum aere
 perennius. Ulteriùs Burggraviatus hic Noricus Superior,
 Inferiòrve XI effloruit Principibus ab eo tempore, quò JO-
 ANNES & ALBERTUS germani majorem sui Burggraviatûs
 ampliationem, Culmbacho, Plassenburgo aliisque ab Orla-
 mundanis Comitibus redemptis adepti æquiores rebus suis
 fiderum adspèctus senserunt, quorum quidam in Superiori
 JOANNES cum Fratre Concordiâ, FRIDERICUS V animi
 magnitudine, VI. heroicis ausibus, JOANNES quietis & eru-
 ditionis studiò, ALBERTUS gravissimarum quarumcunqve
 rerum dexterrimò & exoptato eventu, FRIDERICUS pru-
 dentiâ, CASIMIRUS insitâ gravitate, ALBERTUS Junior mirâ
 fortunæ varietate, GEORGIUS FRIDERICUS haud infucatâ pi-
 etate, DN. CHRISTIANUS miranda annorum, ætatis, impe-
 riique continuatâ & longissimè productâ felicitate, Serenis-
 simus denique Dominus *CHRISTIANUS ERNESTUS*
 belli pariter & pacis artium singulari svavitæ hóc & se-
 quenti ævo memorabuntur, & laudibus tollentur ad sidera;

In inferiori verò laudabunt JOANNEM ALBERTUMVE sanctè
 culta justitia, FRIDERICUM V pacata patria, VI Electorè mve
 primum tranquillitatis cura, ALBERTUM victor semper gla-
 dius, FRIDERICUM solers prudentia, GEORGIUM sincera or-
 thodoxae religionis confessio, piusque in DEUM semper
 animus, GEORGIUM FRIDERICUM acceptior in litteras litte-
 ratòsque favor, JOACHIMUM ERNESTUM clementia, ALBERTUM
 pacis studium, Serenissimum denique DN. JOANNEM FRIDE-
 RICUM pietas & clementia. Undenarium hunc numerum
 ut Augustissimae Austriacae & Potentissimae Brandenbur-
 giacae Familiae duplò, immò & triplò felicissimò adaugeat,
 supplex DEUM veneror. Benignissimum illud Numen SE-
 RENISSIMAE BRANDENBURGIACAE FAMILIAE perennet pi-
 etatis sincerae, litterarumve culturae uberrimam laudem.
 Continuet gloriam reportatae ab hostilibus universis pal-
 mae, fugatorum inimicorum ac depressorum quietem tur-
 bantium. Continuet felicitatem etiam pristinam propaga-
 tae ad infinitos usque posteros dignitatis, splendoris & Re-
 gionum, & ne unquam desit soboles Brandenburgicarum
 virtutum, fortitudinis, justitiae, clementiae & quam pri-
 mò laudare decebat locò, pietatis ac litterarum amoris he-
 res faxit Numen Beatisimum! Ita Aquila Brandenburgi-
 aca Aquilae juncta Imperii ad Solem illum sine oculorum
 nictu accedit propius, suisque alis utraqve propagabit &
 defendet cum ceteris Imperii Proceribus ac membris Ger-
 maniae tranquillitatem in corruptam, felicitatem perpetu-
 am & contra hostes externos pariter ac intrinsecos robur
 pristinum invictumque. Sic in perpetua quiete, quietà li-
 bertate, liberà fortitudine, fortissimà hostes invadendi
 promptitudine, promptissimà devincendi magnitudine, maxi-
 mò denique beatitatum adfluxu ad mundi usque lapsum
 incolumis perstabit & semper victrix Germania.

D I X I.

JOACHIMUS HEIN-
RICUS Hagen/
In Illustri Gymnaf. CHRISTIAN-ERNEST.
Eloqv. Poës. & Mathes. Professor Publicus,

Lectori S. D.




Uemadmodum admirabile illud summæ inter homines eminentiæ specimen, quod PRINCIPATUS audit, magnâ orbis gentiumque conspiratione, cœlesti vindicatur origini; quod & ipsum divinô judicatus suffragiô extra dubium ponitur; ita quos in terris præstare isthoc è mortalibus contingit, eos ut æternæ Majestatis ac infinitæ potentæ rivulos, & ab ipsô Numine speciosô auctoritatis convestiri flore, & ab hominibus conspiratâ obsequiorum contentione, proximôque post Deum cultu prosequendos esse, nemo sanus diffitebitur. Unde observare datur, unamquamque gentem ut præ reliquis Numinis, sive veri, sive ficti, celebratur cultu; ita maximè Principes venerandi suos igne calere. Id quod Ægyptii, memorabili in posteros exemplô fecere clarissimum, uti quos, cùm incredibili Numinum colendorum æstu flagarent, Diodorus Sicul. perhibet, tantis æque Reges suos onerasse honoribus, ut non secus ac Diis thure atque precibus litarent. Neque minùs Romani, (ne de Græcis, Persis atque Indis dicam) ceu suô maximè de divinis abundarunt sensu, nihilque Religione passi sunt vacare; ita quod Principibus suis impenderunt venerandi studium, similimum certè fuit ei, quô in ipsos ferebantur Superos. Ecquid enim sacram adorare purpuram; quid per genium Principis & salutem jurare; quid aras ponere; quid templa, quid urbes sacrare, &c. nisi cultum deferre humanô majorem, divinoque æqualem potiùs quàm secundum? Enimverò Germani, utut haud parci Deorum cultores; minimè tamen servili à naturâ producti ingeniô, & iccirco non usque adeò ad adulandum projecti, quò nulli nihilominus gentium Prin-

Principes honorandi officiò concederent, optimos acceperunt Rectores, quos & plurimi non facere, impensissimeq; colere non poterant. Nam illud quanti est, quod homo peregrinus, *Gvil. Brusius*, haud ita diu fassus est, se cum alibi palatia, alibi milites, Præsules, Nobiles, &c. vidisset, in solâ Germaniâ Principes laude dignos deprehendisse. Sicut verò Numinis reverentia ætati teneræ facilimè omnium felicissimeque instillatur; ita Principum decens cultus cereis in omnia flecti mentibus rectissimè immittitur. Quod cum pro excellentis iudicii dexteritate probè intelligeret *Vir maximè - Reverendus ac Prænobiliss. Dn. CASPAR à LILIEN*, in *Waigendorf* / &c. *Sereniss. Principis nostri Consiliarius intimus, Consistorii Præses, & Generalis Superintendens gravissimus*, Patronus noster maximus; hinc nobilissimam, & ad pulcherrima quæque natam institutamque potioris sexus sobolem, inter cetera selectioris disciplinæ momenta, *res Patriæ*, & imprimis *Serenissimæ Domus Brandenburgicæ origines, incrementa, decora, & casus maximè memorabiles*, teneris adhuc annis complecti & cognoscere voluit. Quod & ita, adspirante Deo, successit, ut qui major natu, ingenio edecumatisimò, quod superiorum annorum specimina abunde testatum fecere, *Parentis inclyti filius vniuersi ac nobilissimus*,

DN. CHRISTIANUS ERNESTUS à LILIEN, Nob. Franc.
 eandem illam de *magnitudine & illustriate Serenissimæ ejus Domus* cognitionem, mente ac memoriâ complexam, justæ Orationis ministeriò in lucem expromere in animum induxerit. Idque ad diem VII Maji, quò ipsò vitæ limen ante hos duodecim annos iniit, in acroate-riò majori, horis matutinis consuetis. Quanquam verò de omnium accedendi promptitudine jam sim certus; nihilominus officii mei commemor, cum *Celsiss. Principes ac Dominos, DN. CHRISTIAN-HEINRICUM, & DN. CAROLUM AUGUSTUM*, March. Brandenb. tum Collegii nostri Mæcenates, Patronos ac Fautores, humilimè submissè, officiosè ac peramanter invito, &c.
 PP. Baruth. Dom. V. post Resurrect. Christi, 1678.

F I N I S.

VD 17



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000
Kodak LICENSED PRODUCT
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

